



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 6. De Insubribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

NVM. 6. *Insubres.*

NOMEN. Polybio *Isombri* dicuntur, Plutarcho *Insombres*, & *Isombri*, Stephano *Insubares*, Straboni *Sombri* & Ἰσσοῦροι, Latinis constanter *Insubres*, vnde Liuius eques *Insuber*. Liuius lib. 5. significat eos conflatos esse ex variis gentibus, Biturigibus, Aruernis, Senonibus, Æduis, Carnutibus, Aulercis: sed cum non procul à Ticino Fl. *le Testin* vicissent Tuscos, & locum in quo confedissent appellari cognouissent *Insubrium*, eiusdem nominis cum pago Æduorum, omen sequentes loci, vno nomine se *Insubres* nominasse. Polybius lib. 2. hanc maximam gentem Gallicarum *Italicarum* nuncupat.

FINES. A *Meridie* *Læuos* habent, ab *Occidente* *Libicios*, à *Septentrione* *Orobios*, ab *Oriente*, *Cenomanos*.

NVM. 7. *De Orobis.*

NOMEN habent vt prodit Cornelius Alexander apud Plinium lib. 3. cap. 17. quòd in montibus viuerent à Græcis ὄρος & βίος. Certè Cluuerius *Bergomum* eorum urbem deriuat à Teutonicis vocibus *Berg*, hoc est *Mons*, & *Home*, id est *Domus*, quasi *Domicilium in Monte*. Cato apud Plinium fatetur se nescire. Non fuerunt autem *Insubres*, quia Liuius lib. 33. *Comenses* ab *Insubribus* distinguit.

FINES. A *Septentrione* *Lepontiis* & *Euganeis* contermini sunt; ab *Oriente* iisdem *Euganeis*; ab *Occidente* prædictis *Lepontiis*; à *Meridie* denique *Insubribus*.

NVM. 8. *De Lepontiis.*

NOMEN. Sic dicti sunt teste Plinio lib. 3. cap. 20. quòd ex comitibus *Herculis* hic relictis essent, à Græcâ voce λιπειν, vel λέπειν; obsistit tamen quod apud Strabonem Ληπόντιοι scribuntur, qui & perperam eos *Rhætis* admiscet. Cato eos *Tauriscæ* gentis arbitratur. Cæsar ait ex iis nasci *Rhenum*: malè *Marcell.* lib. 15. *Rhenum* per eorum agrum decurrere tradit.

FINES. Diuiduntur à *Septentrione* à *Sedunis* & *Rhætis*, ab *Occidente* *Salassis*, à *Meridie* *Libiciis*, ab *Oriente* *Euganeis*.